

A GUARINO VERONESE
Costanza, 16 dicembre 1416

Ed. Tonelli, I, pp. 25-29 (I 5).

Poggius Florentinus secretarius apostolicus pl. sal. dicit Guarino suo
Veronensi

Licet inter quotidianas occupationes tuas pro tua in omnes huma-
nitate et benivolentia in me singulari iocundum semper tibi litterarum
5 mearum adventum esse non ignorem, tamen ut in hisce perlegendis
precipuum quandam prestes attentionem te maiorem in modum
obsecro, non quidem ob eam causam ut aliquid in me sit, quod vel
summe otiosus requirat, sed propter rei dignitatem de qua scripturus
sum, quam certe scio, cum sis longe peritissimus, non parvam tibi
10 ceterisque studiosis hominibus esse allaturam animi iocunditatem.

Nam quid est per deum immortalem, quod aut tibi aut ceteris
doctissimis viris possit esse iocundius, gratius, acceptius quam co-
gnitio earum rerum quarum commertio doctiores efficimur et, quod
maius quiddam videtur, elegantiores? Nam cum generi humano
15 rerum parens natura dederit intellectum atque rationem tanquam egre-
gios duces ad bene beateque vivendum, quibus nihil queat prestan-
tius excogitari, tum haud scio an sit omnium prestantissimum quod
ea nobis elargita est, usum atque rationem dicendi sine quibus neque
ratio ipsa neque intellectus quicquam ferme valerent. Solus est enim
20 sermo quo nos utentes ad exprimendam animi virtutem ab reliquis
animantibus segregamur.

1 Florentinus ... apostolicus *om.* O

Permagna igitur habenda est gratia tum reliquarum liberalium artium inventoribus, tum vel precipue iis qui dicendi precepta et normam quandam perfecte loquendi suo studio et diligentia nobis traderunt. Effecerunt enim, ut qua in re homines ceteris animantibus maxime prestant, nos ipsos etiam homines antecelleremus. Huius autem sermonis ornandi atque excolendi cum multi preclari, ut scis, fuerunt latine lingue auctores, tum vel precipuus atque egregius M. Fabius Quintilianus qui ita diserte, ita absolute summa cum diligentia exsequitur ea que pertinent ad instituendum vel perfectissimum oratorem, ut nihil ei vel summam doctrinam vel singularem eloquentiam meo iudicio deesse videatur. Quo uno solo etiam si Cicero, romane parens eloquentie, deesset, perfectam consequeremur scientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italos dico) ita laceratus erat, ita circumcisis culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognosceretur. Tute hominem vidisti hactenus

lacerum crudeliter ora
ora manusque ambas populataque tempora raptis

40 auribus et truncas inhonesto vulnere nares.

Dolendum quippe erat et egre ferendum nos tantam in hominis tam eloquentis feda laceratione iacturam oratorie facultatis fecisse.

Sed quo tunc plus erat doloris et molestie ex eius viri mutilatione, eo magis nunc est congratulandum, cum sit in pristinum habitum et dignitatem, in antiquam formam atque integram valitudinem nostra diligentia restitutus. Nam si Marcus Tullius magnum pre se fert gaudium pro Marco Marcello restituto ab exilio, et eo quidem tempore quo Rome plures erant Marcelli similes domi forisque egregii ac prestantes viri, quid nunc agere docti homines debent et presertim studiosi eloquentie, cum singulare et unicum lumen romani nominis quo extincto nihil preter Ciceronem supererat et eum modo simili

32-34 Quo ... dicendi] Valla, *Antidotum I*, p. 204 38-40 Verg. *Aen.* 6, 495-497 46 sgg. Cic. *Marcell.* 1

26 antecelleremus] *corr.* ex accelleremus O; accelleremus R 44 nunc *corr.* ex tunc *m.a.* in R₁; tunc ROP

lacerum ac dispersum, non tantum ab exilio sed ab ipso pene interitu revocaverimus?

Nam, mehercule, nisi nos auxilium tulissemus, necesse erat illum
 55 propediem interiturum. Neque enim dubium est virum splendidum,
 mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis, feditatem
 illius carceris, squalorem loci, custodum sevitiā diutius perpeti non
 potuisse. Mestus quidem ipse erat ac sordidatus tanquam mortis rei
 solebant, squalentem barbā gerens et concretos pulvere crines,
 60 ut ipso vultu atque habitu fateretur ad immeritam sententiā se vo-
 cari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, ut se ab
 iniquo iudicio tuerentur, postulare et indigne ferre quod qui quondam
 sua ope, sua eloquentia multorum salutem conservasset, nunc neque
 patronum quēpiam inveniret quem misereret fortunarum suarum,
 65 neque qui sue consuleret salutem aut ad iniustum rapi supplicium pro-
 hiberet. Sed quam temere persepe eveniunt que non audeas optare, ut
 inquit Terentius noster.

Fortuna quedam fuit cum sua, tum maxime nostra, ut cum
 essemus Constantie otiosi, cupido incesseret videndi eius loci quo
 70 ille reclusus tenebatur. Est autem monasterium Sancti Galli prope
 urbem hanc milibus passuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi et
 simul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus esse
 dicebatur, gratia eo pereximus. Ibi inter confertissimam librorum
 copiam quos longum esset recensere, Quintilianum comperimus
 75 adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ et pulvere squalen-
 tem. Erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postu-
 labat, sed in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet
 unius turris quo ne capitalis quidem rei damnati retruderentur. Atqui
 ego pro certo existimo si essent qui hec barbarorum ergastula, quibus
 80 hos detinent viros, rimarentur ac recognoscerent more maiorum,
 similem fortunam experturos in multis de quibus iam est concla-
 matum.

54 mehercule] Valla, *Antidotum I*, p. 204 58-59 Mestus ... solebant] Valla, *Anti-*
dotum I, p. 204 59 Verg. *Aen.* 2, 277 sgg. 66-67 Ter. *Phorm.* 757 sgg. 68
 Fortuna ... nostra] Valla, *Antidotum I*, p. 204 70 reclusus] Valla, *Antidotum I*,
 p. 204 77-78 in teterrimo ... retruderentur] Valla, *Antidotum I*, p. 204 (il Valla
 legge «recluderentur»)

Reperimus preterea libros tres primos et dimidiam quarti C. Valerii Flacci *Argonauticon* et *Expositiones* tanquam thema quoddam
 85 super octo Ciceronis orationibus Q. Asconii Pediani, eloquentissimi viri, de quibus ipse meminit Quintilianus. Hec mea manu transcripsi, et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum et Nicolaum Florentinum qui cum a me huius thesauri adiventionem cognovissent, multis a me verbis Quintilianum per suas litteras quam
 90 primum ad eos mitti contenderunt.

Habes, mi suavissime Guarine, quod ab homine tibi deditissimo ad presens tribui potest. Vellem et potuisse librum transmittere, sed Leonardo nostro satisfaciendum fuit. Verum scis quo sit in loco, ut si eum voles habere (puto autem te quam primum velle), facile
 95 id consequi valeas. Vale et me quando id mutuuum fit ama.

Constantie, XVII. kal. ianuaris anno Christi 1417

86 cfr. Quint. *inst.* 5, 10, 9 92 ad presens] Valla, *Antidotum I*, p. 204 Vellem ... transmittere] Valla, *Antidotum I*, p. 204 sg.

96 anno Christi om. P